

DILUCIDATIONES  
SELECTARUM 140.622  
S. SCRIPTURÆ QUÆSTIONUM.  
TOMUS PRIMUS,

IN QUO DILUCIDANTUR QUÆSTIONES  
IN GENESIM, EXODUM, LEVITICUM, NUMEROS;  
DEUTERONOMIUM, JOSUE, JUDICES,  
RUTH, & Quatuor Libros REGUM.

AUTHORE

F. MARTINO WOUTERS,

*Ord. Erem. S. P. Augustini, in alma Univers. Lovan. Sacræ Theologiæ  
Licentiato, Provinciæ Flandro-Belgiæ Secretario,  
& antehac S. S. Literarum Professore.*

CUM APPROBATIONIBUS ET INDICIBUS NECESSARIIS.



April 15. 1651

COLONIÆ,  
Sumptibus FRATRUM DE TOURNES.

---

M. DCC. LXXVI.

---

---

C E N S U R A.

**D**ilucidationes variarum quæstionum in *Librum Genesis* Authore Eruditissimo Patre *Martino Wouters*, Ord. Erem. S. P. Augustini, in Alma Universitate Lovan. Sacræ Theol. Licentiato &c. utiliter in lucem edentur. Dabam Lovanii 9. Maii 1753.

F. SCHEPPERS, J. U. & S. Th. Lic. Reg. & Apost.  
Lib. Cens. Eccles. Colleg. S. Petr. Lov. Can. & Decanus.

---

A P P R O B A T I O O R D I N I S.

**E**X commissione A. R. P. M. Provincialis legimus librum, cui titulus: *Dilucidationis selectarum Sacræ Scripturæ Quæstionum pars prima, in qua dilucidantur Quæstiones in Librum Genesis*, in quo nihil Catholicæ Fidei adversum, sed præcipuas Sacræ Scripturæ difficultates invenimus juxta communem SS. Patrum mentem explanatas, & dilucidatas: quare hunc librum valde utilem, ac proinde prælo dignum censemus. Lovanii 10. Maii 1753.

F. JOSEPHUS MAUGIS, Ord. Erem. S. P. Aug.  
in Alma Univ. Lovan. S. T. D. R. & Professor, ac nuperrimi Provincialis Capituli Præsident.

F. CHRISTIANUS BERT, ejusdem Ord. in Alma Univ. Lov. S. Theol. Licent. Studii Theologici Regens, ac Provinciæ Definitor.

---

P E R M I S S I O

*Reverendi Admodum Patris Magistri Provincialis.*

**P**ermittimus & consentimus, ut Adm. R. ac Erud. P. MARTINUS WOUTERS S. Theol. Licent. & SS. Liter. Lovanii Professor, Opus à se compositum, cui Titulus: *Dilucidatio Selectarum S. Scripturæ Quæstionum*, revidentibus & approbantibus Adm. RR. Exim. ac Erud. Patribus *Josepho Maugis*, in Alma Universitate Lov. S. Theol. Doctore Regente & Professore, ac nuperrimi Provincialis Capituli Præsidente; & *Christiano Bert*, in eadem Univ. S. Theol. Licentiato, Lovanii Magistro Regente, ac Provinciæ Definitore, typis publicis edi faciat. Dabamus *Teneramundæ* in Conventu nostro ad S. Nicolaum Tollentinatem die 12. Octob. 1752.

F. THOMAS DU BOY, Prov. Flandro-Belgica,  
Ord. Erem. S. P. Augustini Prior Provincialis, ac per  
Fœderatas Belgii Provincias Præfectus Apostolicus.





DILUCIDATIO  
IN LIBRUM GENESIS.

P R Æ F A T I O.

**L**iber, quo nascentis mundi primordia narrantur, omniumque ejus partium structura atque exornatio describitur, *Geneseos* nomen accepit. Si verò à materiæ dignitate commendetur voluminis alicujus claritudo & nobilitas, præclara sanè & eximia est hujus libri materies. Quid enim mundo aspectabili in rebus à Deo conditis, mole majus, varietate admirabilius, specie magnificentius, ornatu elegantius, disertissimo partium omnium ordine, miroque earum inter se quasi concentu quodam, consensuque venustius? Quid ad ingerendam mortalibus unius Dei notitiam aptius?

Si autem, ut fieri solet, Scriptoris nomen & gloria librum quemdam decorat atque nobilitat, magnum profectò hujus libri est elogium. Moyses namque (ut infra probabitur) ejus author est, vir quantò dignior omni laude, tantò omni laude major. Qualis enim & quantus fuerit Moyses, tribus libris profecutus est Philo Judæus, & uno Gregor. Nyssenus, ubi totius vitæ gesta mysticè ad exprimendos viri perfecti mores transferuntur.

Ex ejus libris manifestum evadit, illum fuisse summum Historicum, sive veritatem, primam historiæ laudem, spectes, sive longissimi temporis seriem. Fuisse Poëtam insignem, probant pulcherrima duo Cantica Exodi 15., & Deuteron. 32. Philosophum fuisse eximium, nemini, qui hunc librum legerit, dubium esse potest: nobilissimam quippe Philosophiæ partem, quæ tractat de mundo & homine, de luce & astris, de elementis; & quidquid universi ambitu continetur, in lucem producit. Theologum illum probat sublimis illa divinorum attributorum commendatio, tota divini cultus institutio, & familiarissima cum Deo conversatio: Pontificem summum demonstrat nobis Aaronis consecratio: Legislatorem perfectissimum, Religionis & Reipublicæ Judaicæ institutio, quæ omnia ad longum describuntur in Lib. Exodi, Levit., & Num.

In hoc verò libro brevem à mundo condito ad Patriarchæ Joseph mortem Moyses texit historiam, mundi narrans originem, protoparentum lapsum, posterorum Adæ per Cain & Seth propagationem, eorumque ob peccata per aquas Diluvii exterminium, Noë ejusque filiis ad posteritatis seminarium reservatis. Deinde confusas refert in Babel linguas, Abrahæ, Isaac, Jacob, filiorumque ejus acta, finitque cum morte Joseph. Nullis autem in hoc opere rationibus aut argumentis utitur ad fidem rebus narratis adstruendam, sed simplici, planaque oratione, ut historicum divinitus inspiratum decet. Quia verò fortè alicui (etsi infundatè) ingeri posset dubitatio, an Moyses Genesim, cæterosque Pentateuchi libros scripserit, ante omnia evincendum est, Moysen esse verum Pentateuchi authorem. Sit igitur